

*Quæ juramenta magis obligent. Quid perjurium.* — Juratur autem per Deum, per Evangelia, per creaturas. Sed quanto magis sanctum est, per quod juratur, tanto magis est pœnale perjurium (396) Perjurium autem est, adhibita juratione mentiri quod fit, dum jurando quis loquitur, cum intentione fallendi, quam vel statim habet, vel postea, ante tempus, quo fieri debet, quod juravit. Ream enim linguam non facit, nisi rea mens.

*Comites juramenti. Incauta juratio est peccatum.* — Advertendum quoque est quod jusjurandum tres habet comites: veritatem, iudicium et justitiam, ut scilicet discrete quis juret, quantum ad se; utiliter quantum ad proximum, et verum sit, vel esse putet quod jurat, quantum ad Deum. Quod si ista deficient, perjurium est, hoc est incaute jusjurandum factum. Quod ideo peccatum est, quia juratio non est appetenda, sicut res bona; nec tamen fugienda est, sicut mala, cum est necessaria.

*Perjurium quando dicatur.* — Dicitur enim perjurium proprie, cum impleri potest juramentum, et debet secundum tenorem jurandi, sed contemnitur. Quod salubriori consilio faciendum est, quando si

A impletur juramentum, pejorem vergit in exitum. Velut cum juravit quis permanere in stupro, qui nimirum inter stuprum et prædictum perjurium perplexus est, ubi fides rescindenda est. Ait enim Isidorus: In turpi voto muta decretum: quæ incaute vovisti, ne facias.

*De eo qui verborum caliditate jurat.* — Proinde quacunque arte verborum juretur, Deus sic accipit, sicut ille qui jurat, et ille cui juratur, simpliciter intelligit (307).

*De eo qui cogit falsum jurare.* — Quod si quis sciens falsum juramentum exigit, homicida est.

DIST. XL. — *De 6 et 7 præcepto secundæ tabulæ.* — Sextum denique præceptum est: *Non desiderabis uxorem proximi tui (Exod. xx).* Septimum: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam (ibid.).*

*An postrema hæc includantur prioribus.* — Sed videntur hæc duo præcepta superioribus includi, quibus dictum est: *Non mæchaberis, non furaberis.* Sed illis opera prohibita sunt: his vero concupiscentia prohibetur. Prædicta igitur mandata legis, sunt decem chordæ psalterii, quæ charitate tangendæ sunt, ut feræ vitiorum occidantur.

*Finis libri de Verbo incarnato et hominis reparatione, qui est Sententiarum Bandini tertius.*

(396) Aug., ad Publicolam epist. 4.

(397) Aug. in serm. De perjuris.

# MAGISTRI BANDINI

## LIBER

### DE ECCLESIASTICIS SACRAMENTIS

#### QUI EST SENTENTIARUM QUARTUS.

*Περὶ τοῦ* — *Toto propemodum hoc quarto libro, mira perspicuitate et paucis admodum, disserit Bandinus de hominis per Christi mortem instaurati confirmatione quæ in salutari usu ac dispensatione sanctorum Ecclesiæ sacramentorum consistit, vlm suam atque originem habentium ex Christi passione. Sub finem autem nonnulla de hominis per ecclesiastica sacramenta confirmati summa, ut sic dicam, beatificatione attingit, explicans mortuorum resurrectionem et extremum iudicium, cum pœnis impiorum et gaudiis piorum: quibus feliciter Bandinus librum suum finit, optans ut lætitiis justorum consortes nos Dominus efficiat.*

DIST. I. *De sacramentis in genere. Quid sacramentum.* — Post tractatum rerum, quibus fruendum est et utendum, et quæ fruuntur et utuntur, ad signa tractanda accedamus, quæ sacramenta dicuntur. Sacramentum igitur est visibilis forma invisibilis gratiæ, vel sacræ rei signum. Signum autem est res quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se facit in cognitionem venire.

*Quomodo differant sacramenta veteris et novæ le-*

C *gis.* — Denique sacramentum ejus rei similitudinem gerit, cujus signum est: ut aqua baptismi, mundationis peccatorum. Eamvero sacramentum proprie dicitur, quod ita significat gratiam, quod et confert eam. Per quod inter vetera et nova sacramenta differentia manifeste notatur: illa enim tantum promittebant et significabant, hæc signant, et dant gratiam.

*Quare instituta sunt sacramenta.* — Quæ triplici

ex causa instituta sunt, ut scilicet humiliemur, erudiamur, exerceamur. Homo enim qui majorem se contempsit, placet Deo, dum visibilibus rebus, et se inferioribus reverenter ex præcepto Creatoris humiliatur, quando etiam per id quod in specie visibili cernitur, ad invisibilem virtutem cognoscendam mens eruditur. Per hæc etiam sacramenta noxiam occupationem vitat, et utiliter exercetur qui otiosus esse non posset.

*De circumcissione.* — Licet autem antiqua sacramenta gratiam non darent, circumcisio tamen idem valebat contra peccatum, quod nunc baptismus. Unde Beda (398-399): Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege, contra originalis peccati vulnus agebat, quod agit baptismus tempore gratiæ, nisi quod non aperiebat januam regni.

*De institutione et causa circumcissionis.* — Fuit autem circumcisio Abrahæ mandata prius, postea vero semini ejus. Fuit autem mandata illi ad approbationem fidei et obedientiæ ejus: et ut populus ille hoc signo a cæteris nationibus discernere-  
t.

*Quare in carne præputii.* — In carne etiam præputii fieri jussa est, quia decuit signum ibi obedientiæ apparere, ubi pœna inobedienciæ, hoc est, concupiscentia, magis dominabatur.

*Quare octavo die et petrino cultello.* — Fiebat autem octavo die, petrino cultro, quia per resurrectionem Christi octava die factam, anima a peccatis mundatur, et in communi resurrectione, octava ætate futura, omnis corruptio ab electis per petram Christum tollitur.

*Per quid deletur originale peccatum ante circumcissionem.* — Ante circumcissionem dimittebantur peccata parvulis, in fide majorum: majoribus vero in sacrificiis. Unde Gregor. (400): quod apud nos valet aqua baptismi, hoc apud veteres egit vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus sacrificii virtus.

*Quare in baptismum circumcisio mutata.* — Circumcisio autem merito in baptismum mutata est, quia baptismus communior est et perfectior, de quo jam videamus.

*Dist. II De Baptismo.* — Sciendum est quod baptismum, quo regenerantur fideles, baptismus Joan. præcessit, in hoc utilis existens, quia homines usu baptizandi præparabat ad baptismum Christi.

*Quare dicatur baptismus Joannis.* — Joan. autem baptismus dictus est, qui operatio tantum Joannis erat, ibi exterius lavantis, non Dei interius operantis, qui baptismus, in nomine venturi tradebatur.

*An baptizati a Joanne debeant rebaptizari.* — Proinde baptizati baptismum Joannis, nec credentes Spiritum sanctum esse, rebaptizati sunt baptismum

Christi. Unde Hieron. (401): Qui Spiritum sanctum nesciebant, cum baptismum a Joanne acceperunt in nomine venturi, iterum baptizati sunt: ne quis putaret aquam sine Spiritu sancto sufficere ad salutem. Consequenter ergo videamus quid sit baptismus, et quæ sit ejus forma, et quando sit institutus, et quare.

*Dist. III. Quid sit baptismus.* — Est autem baptismus, intinctio corporis facta sub forma verbi ejus de quo dicitur: Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum (402).

*Forma baptismi. An in nomine Christi liceat baptizare.* — Verbum autem illud est invocatio Trinitatis. Juxta quod ait Veritas, formam baptizandi ostendens: *Ite, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (Matth. xxviii).* Hoc autem verbum accedit ad elementum, non tantum quia dicitur, sed quia et creditur. In nomine etiam Christi legimus apostolos baptizasse (Act. viii, x). In quo tota Trinitas intelligitur scilicet ipse unctus, et Pater a quo unctus est; et Spiritus sanctus quo unctus est.

*An in unius personæ nominatione liceat baptizare.* — Imo et in unius personarum nomine tantum perfecte sacramentum traditur, si de aliis recte sentiatur: Et econverso omnibus nominatis, vacuum est mysterium, si de aliis male sentiatur. Unde Ambros. (403): Sicut si unum, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum sermone comprehendas, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est, fidei sacramentum: ita etiam, licet Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum dicas, et alicujus eorum minuas potestatem: vacuum est mysterium. Tutius tamen est tres personas in baptismo nominare, ut dicatur: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, non in nominibus, sed in nomine, hoc est invocatione vel confessione trium personarum.

*Ubi fuerit institutus baptismus.* — Fuit autem institutus baptismus, in Jordane, quando Christus contactu mundæ carnis suæ, vim regenerativam contulit aquis, ut qui post immergeretur, invocato nomine Trinitatis, a peccatis mundaretur.

*Quare in aqua tantum baptizetur.* — Celebratur autem baptismus in aqua, non alio liquore, ne ullus inopia excusetur, et propter similitudinem sacramenti, quia sicut aqua corporis sordes abluit, sic baptismus maculas animæ abstergit.

*Quoties immergi debeat qui baptizatur.* — Denique pro vario ecclesiarum usu, semel, vel ter, qui baptizatur immergitur. Unde Gregor. (404): In una fide, nihil officit Ecclesiæ sanctæ consuetudo diversa, unde nullatenus reprehensibile est infantem baptizando, ter vel semel immergere, quia ter immer-

(398-399) Super evangelium Luc. Et postquam impleti.

(400) In iv Moralium, cap. 2.

(401) In epist. de unius uxoris viro ad Oceanum.

(402) Aug. super Joan. tract. 80.

(403) In lib. i De Spiritu sancto, cap. 2.

(404) Epistola 41, lib. i Registri, ad Leandrum episcopum.

gendo, personarum Trinitas, et semel potest divinitatis unitas designari. Nos vero qui tertio mergimus, etiam triduanæ sepulturæ sacramentum signamus.

DIST. IV. *De triplici effectu baptismi. Quorundam error.* — Post supradicta, sciendum est alios percipere sacramentum et rem, alios sacramentum tantum, alios rem tantum. Sacramentum et rem suscipiunt parvuli, licet de perituris quidam aliter sapiant, male innitentes verbo Augustini qui dicit (405) : Sacramenta in solis sanctis efficiunt id quod figurant. Quod sic accipiendum est, quia cum sacramenta omnibus efficiant remissionem, solis electis hoc faciunt ad salutem. Adulti quoque qui cum fide accedunt, sacramentum et rem suscipiunt, qui vero sine fide, sacramentum tantum. Unde Hieron. (406) : Qui non plena fide baptismum accipiunt, non Spiritum sanctum, sed aquam accipiunt. Idem Aug. ait (407) : Omnis qui jam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi pœniteat eum veteris vitæ, nova inchoare non potest. Quod autem August. (408) dicere videtur, fide accedenti in ipso puncto temporis peccata dimitti, non dicit asserendo, sed conferendo, et alios impugnando. Quod ostenditur ex eo, quod ibidem sic dicit (409) : Si ad baptismum fictus accedit, dimissa sunt ei peccata, aut non sunt dimissa : eligant quod volunt. Qui etiam ait (410) : Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione sequente, de corde recessit. Accedens ergo fide, non rem, sed tantum sacramentum accipit.

*Quid prosit baptismus cum fide accedentibus.* — Sed cum fide accedentibus quid baptismus præstat cum justificati sunt? Ad quod dicimus quod exterioris satisfactionis absolutio eis præstat, et gratia adiutrix, omnisque virtus augetur : fomes quoque peccati amplius debilitatur. Unde Aug. (411) : Fides quæ fideles facit, in aquis baptismi datur, vel nutritur, quia non habenti aliquando ibi datur, et habenti ut plenius habeatur, datur.

*Qui suscipiant rem et non sacramentum.* — Rem autem et non sacramentum suscipiunt, qui pro Christo sanguinem fundunt, seu fidem ejus tenent : quibus propter angustiam temporis succurri non potest. Unde Aug. (412) : Etiam atque etiam considerans invenio, non tantum passionem pro nomine Christi susceptam, vicem baptismi supplere, sed etiam fidem et conversionem cordis : ita demum, si mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitas excludit. Ambros. etiam de Valentiniano ait (413) : Ventrem meum

(405) In lib. De baptismo parvulorum, cap. 2.

(406) Super Ezech. 16.

(407) In lib. De pœnitentiæ medicina, cap. 2.

(408) In lib. I De baptismo parv. contra Donatistas, cap. 12.

(409) In eodem lib.

(410) Ibidem,

(411) Homil. 74 super Joan,

doleo, quia quem regeneraturus eram amisi, ille tamen gratiam quam poposcit non perdidit.

*Quæ videntur obviare prædictis.* — Cui sententiæ non repugnat, quod Dominus dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu*, etc. (Joan. III). Intelligendum enim est de his, qui possunt et contemnunt baptizari. Similiter et illud intelligendum est : Nullum catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum, vitam habere credimus (414).

*Varie sese habet baptismus ad remissionem peccatorum. De patrinis quid agere debeant. Expositio verborum quæ prolem suscipientes proferunt. Quæ baptismum præcedant.* — Denique sciendum quod cum baptismus sit sacramentum remissionis peccatorum, aliquando præcedit ipsam, ut cum fictus baptizatur, aliquando sequitur, ut cum justus baptizatur ; aliquando simul sunt, ut cum parvuli baptizantur : qui dum baptizantur, gratiam bene operandi percipiunt in munere, sed non in usu, quam ad ætatem majorem venientes habebunt, nisi per liberum arbitrium pravum usum elegerint. Pro quibus patrinis fidem petunt, et credere profitentur (414\*). Quod totum de sacramento baptismi intelligendum est, ut sit sensus, fidem peto, hoc est, fidei sacramentum præsto sum recipere. Credo, id est fidei sacramentum recipio : quod patrinus pro parvulo dicit, qui non habet ætatem ut pro se loquatur, per quod et ipse parvulus obligatur adimplere, cum major factus fuerit, et patrinus etiam sollicite operam dare, ut adimpleatur. Unde Aug. (415) : Certissimam emisistis cautionem, qua abrenunciare pompis diaboli spondidistis. Baptismum autem exorcismus, hoc est, adjuratio, et catechismus, id est instructio præcedunt, non quod sine istis non possit esse baptismus, sed ut baptizandus instruat, quæ fugiat, et sciat cui debitor fiat. Unde Augustinus (416) : Parvulus exsufflatur et exorcizatur, ut diabolus ab eo fugiat, et sciat cui deinceps debitor fiat.

DIST. V. *Æque efficax est baptismus sive a bono sive a malo.* — Denique cum solus Christus baptizet, semper æque bonum baptisma traditur a quocunque, bono vel malo tradatur.

DIST. VI et VII. *Quibus licet baptizare.* — Ad summam sciendum est quod ministerium baptismi solis sacerdotibus licitum est. Necessitatis vero tempore, diaconis, et cuicunque personæ baptisma ministrare licet, quod a quocunque traditum, dummodo in forma Ecclesiæ non erratur, non reiteratur.

DIST. VIII. *De sacramento Eucharistiæ. Eucharistia unde dicatur.* — Post sacramentum baptismi, sequitur sacramentum eucharistiæ, et bene : per

(412) De unico baptismo lib. IV, cap. 22.

(413) Lib. De obitu Valentiniani, paulo ante medium.

(414) Aug. in ecclesiasticis dogmatibus, cap. 74.

(414\*) Hæc Magister dist. 6.

(415) Lib. II De symb. ad Catech., cap. 1, 2, et ib. IV, cap. 10.

(416) In lib. I De symb. ad Catech. cap. 10.

baptismum enim mundatur; per eucharistiam in bono firmatur. Eucharistia autem dicitur bona gratia, quia in hoc sacramento totus ille sumitur, qui est fons et origo totius gratiae. In hoc ergo sacramento videamus de institutione ejus, et forma, et re.

*De institutione hujus sacramenti.* — Dominus igitur instituit hoc sacramentum, in cena, post agnum typicum, in qua significavit veteris legis sacramenta morte sua terminari, et quae sunt novae legis substitui.

*De forma hujus sacramenti.* Forma autem ea est, quam idem Dominus instituit dicens: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Et: *Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur* (Matth. xxvi). Reliqua autem ad laudem Dei dicuntur. Unde Aug. (417): *Credendum est quod in illis verbis Christi sacramenta conticiantur: reliqua omnia sunt laudes, obsecrationes, petitiones.*

*Tria in hoc sacramento distinguenda.* — Sunt autem in hoc sacramento tria distinguenda: unum quod tantum est sacramentum scilicet species panis et vini, alterum quod est sacramentum, et res, caro scilicet Christi, quam de virgine traxit, et sanguis, quem pro nobis fudit, tertium quod est res tantum sacramenti, unitas scilicet Ecclesiae quae est spiritualis caro Domini, de qua dicitur: *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam aeternam in vobis* (Joan. vi).

*Dist. LX. De duobus modis manducandi.* — Sicut autem duae sunt res hujus sacramenti, ita et duo modi manducandi sunt, sacramentalis, scilicet quod corpus, quod de virgine traxit, sub sacramento sumitur, et sanguis bibitur: et spiritualis, quo quis manducat, si in Deo manet, et Deus in eo. Unde Augustinus (418): *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. Si in me manet, et ego in eo, tunc bibit. Qui vero in me non manet, nec ego in illo, etsi accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum.*

*Item:* Ut quid paras ventrem et dentem? erede et manducasti. Secundum hos duos modos distinguitur quod Aug. ait: *Bonus accipit sacramentum et rem sacramenti. Malus vero tantum sacramentum, hoc est, corpus Christi. Non secundum hoc etiam intelligitur illud Aug. (419): Non manducans manducat, et manducans non manducat.*

*Dist. X. Corpus Christi in omni esse altari.* — Denique corpus Christi de virgine tractum, in omni altari est, tempore sacrificii. In uno tamen loco tantum est scilicet ad dexteram Patris, visibiliter secundum formam humanam. Hoc est, quod Aug. ait (420): *Corpus Christi est in uno loco visibiliter,*

scilicet in forma humana: Veritas tamen ejus ubique est, id est divinitas. Item (421): *Veritas ejus, hoc est verum corpus ejus ubique est, id est, in omni altari, ubi celebratur, invisibiliter tamen, secundum eandem formam. Ita similia sunt intelligenda.*

*Dist. XI. De conversione panis in carnem Christi et vini in sanguinem.* — Proinde vera fides fatetur quod usitatus panis est in altari, ante verba sacra quae supra posita sunt: post illa verba, de pane fit caro Christi, vel coaerit, vel transit panis, vel convertitur in carnem. Similiter et de vino.

*Quomodo fiat ista conversio.* — Quod si queratur de modo conversionis, dicimus quia quidam dicunt conversionem illam sic esse intelligendam, ut sub quibus accidentibus erat prius substantia panis et vini, sub ejusdem post consecrationem sit substantia corporis et sanguinis. Alii autem dicunt quod substantialiter panis mutatur in carnem, nec tamen augetur. Totum enim quod ibidem est, virtute miraculi refulget. Sed sive sic, sive aliter sit, tenendum est quod Aug. ait (422): *Si queris modum quod fieri possit, breviter dico. Mysterium fidei salubriter credi potest, investigari salubriter non potest,*

*Quare corpus Christi sub alia specie sumitur.* — Sumitur autem corpus Christi sub alia specie, quam propria, triplici de causa, scilicet ut fides meritum haberet, et ne abhorreret animus, quod cerneret oculus, et ne ab incredulis religioni insultaretur.

*Cur sub duplici. Cur aqua misceatur.* — Sub duplici quoque specie, totus Christus sumitur, ut ostendatur totam humanam naturam Christum assumpsisse, totamque redemisse. Panis enim ad carnem, vinum ad sanguinem refertur, ut Moyses ait: *Caro pro corpore vestro offertur, sanguis vero pro anima* (Deut. xii; Levit. xvii). Aqua etiam, quae populum signat vine admiscetur, ut per hoc plebs credentium ei, in quem credit copulari ostendatur. Quod si ignorantia vel negligentia praetermittitur aqua, non est irritum quod geritur. Si autem introducendo haeresim hoc sit, nihil agitur.

*Dist. XII. Ubi illa accidentia fundentur. De fractione et partibus.* — Si autem queritur de illis accidentibus, ubi fundentur. Videtur potius fatendum sine subjecto existere, quod non est impossibile ei, qui creavit illa. Frangitur autem corpus Domini, non quidem in essentia sui, quia impassibilis factus est, sed in sacramento, ut Aug. ait: *Et quidem in sacramento sic fit, in quo sacramento sic tractatur et frangitur, et dentibus fidelium atteritur, ut Berengarius coram Nicolao papa juravit.*

*Quid illae partes significant.* — Tres autem partes quotidiano usu ejusdem sacramenti in Ecclesia fiunt,

(417) Epistola 59 ad Paulinum.

(418) Homil. 26 super Joan. vi, et de verbis Domini serm. 14.

(419) Ibidem homin. super Joannem quoad sensum.

(420) Tractatu 56 super Joan.

(421) Item epist. ad Dardanum 57.

(422) In lib. Sententiarum Prosperi.

(423) De consec. dist. 2, c. Ego Bereng.

non sine significatione, ut Sergius papa ait (424). Pars enim oblata in calicem missa, corpus Christi, quod jam resurrexit, monstrat: pars comesta ambulans adhuc super terram, pars in altari usque ad finem missæ remanens, corpus jacens in sepulcro, quia usque ad finem sæculi corpora sanctorum in sepulcris erunt.

*Quare hoc sacrificium dicatur immolatio. Cur fuerit institutum. Quoties communicandum in anno.* — Dicitur autem hoc sacrificium, immolatio Christi. Immolatur enim Christus quotidie, non essentia sui, quia semel mortuus est, et jam non moritur, sed sacramentali representatione. Nec tamen iteratur sacramentum hoc, quia benedictio non repetitur super eandem rem, sicut nec baptismus in eadem persona. Fuit autem institutum hoc sacramentum in medicinam quotidianæ infirmitatis. Unde Aug. (425): Iteratur quotidie hæc oblatio, quia quotidie peccamus. Item: Quia quotidie labimur, quotidie mysterium Christi pro nobis immolatur. Ter autem in aëne unicuique fidelium communicandum est, in Pascha scilicet, Pentec. et Natali.

*Dist. XIII. Qui conficiat hoc sacramentum.* — Conficitur autem hoc sacramentum a quolibet sacerdote, secundum ritum et intentionem conficiendi, utique si in unitate Ecclesiæ consistit. Excommunicati ergo, vel hæresi manifesta notati non conficiunt hoc sacramentum. Nemo, enim consecrans dicit, offero, sed offerimus, quasi ex persona Ecclesiæ, quod Aug. ita dicit (426): Recole nomen et adverte veritatem. Missa enim dicitur, eo quod cœlestis missus, hoc est angelus, ad consecrandum corpus Dominicum adveniat, dicente sacerdote: Omnipotens, Deus, jube hoc perferri per manus angeli tui in sublimi altare tuum. Sed nunquid hæretico usurpante hoc mysterium, angelum de cœlo mittit Deus oblationem ejus consecrare? Hæc de cœlestis mysterio perstrinximus, quæ fideliter a Catholicis tenenda sunt.

*Dist. XIV. De pœnitentia. Unde dicatur pœnitentia. Quid sit pœnitere. Divisio pœnitentiæ.* — Post hæc de pœnitentia videamus, quæ post naufragium Adæ et originalis peccati, secunda tabula est. Prima enim est baptismus, ubi vetus homo deponitur, et induitur novus; qui semel præstitus, non iteratur. Pœnitentia autem frequenter subvenit: a qua prædicatio Joannis cœpit dicentis: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (Matth. III). Dicta est autem pœnitentia a puniendo, qua quis illicita quæ commisit, punit. Pœnitere enim est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. Proinde pœnitentiæ virtus timore concipitur. Unde Isaias: A timore tuo, Domine, concepimus Spiritum salutis.

*Solemnis pœnitentia. Non solemnis. Confessio.* —

(424) De cons., dist. 2, c. *Triformæ*.

(425) Lib. IV contra duas epist. Pelag. c. 10, et De verbis Domini serm. 28.

(426) Non tenetur hic sicut nec Lombardus. In ser-

**A** Pœnitentiæ vero, alia solemnis est, alia non. Solemnis est, ut Amb. (427), quæ fit extra ecclesiam manifesto, in cinere et cilicio, quæ pro manifestis horrendisque delictis, antum imponitur, quæ non iteratur pro reverentia sacramenti. Ejectionem enim primi hominis de paradiso significat. Alia vero non est solemnis, quæ virtus mentis est, et in secreto agitur, et frequenter ab eodem iterari potest in salutem. Quod probatur exemplo David, qui, post veniam adulterii et homicidii, graviter deliquit in numerando populum, qui dum angelo ferenti plebem, se obtulit dicens: Grex iste quid fecit? Fiat manus tua in me, et in domum Patris mei, statim sacrificio dignus factus est, et absolvi meruit (II Reg. XXIV). Hoc est etiam quod Aug. ait: Confitere peccata etiam semel terreno judici ante mortem, sed Deo frequens confessio vitam inducit. Item super Psal. *Parcet pauperi* (Psal. LXXI). Si liberatus offendit, parcat, quia omnes peccant. Auctoritates ergo quæ pœnitentiam prohibere videntur iterari, vel de perfectorum pœnitentia vel solemniter intelligendæ sunt, velint illa: Pœnitentia semper est vindicta puniens, quod quis commisit; et illud: Reperiuntur qui sæpius, agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo (428).

*Dist. XV. An confessio de uno peccato valeat, cæteris manentibus?* — Videtur autem confessio de uno peccato tantum facta valere, præsertim si pro eo satisfactum est, quia Scriptura dicit: Non iudicabit Deus bis in idipsum, et non consurget duplex tribulatio (Nahum, I). Sed hoc de his intelligendum est, qui præsentis pœna commutantur in bonum. Cæterum si perdurant in malo, præsentibus suppliciis æterna connectunt, secundum illud: *Duplici contritione conterere eos, Domine Deus noster* (Jer. XVII). Ait enim Greg. (429): Pluit Dominus super unam civitatem, et super alteram non pluit. Et eandem civitatem ex parte compluit, et ex parte aridam reliquit. Cum ille qui proximum odit, ab aliis vitiis se corrigit, una eademque civitas ex parte compluit, et ex parte arida remanet, quia sunt quidam, qui cum vitia quædam resecent, in aliis graviter perdurant. Sed hoc non ad veniam criminis, sed ad desertionem actus peccandi referendum est. Ut ideo pars civitatis dicatur complui, quia a delectatione et actu peccandi nunc continet. Vocaturque hæc continentia pluvia, quia de fonte gratiæ procedit; ut vel sic paulatim pœniteat, vel eo minus a Deo puniatur, qui diuturniori delectatione et actu peccati, majus sibi accumulasset tormentum.

*An satisfactio sit imponenda huic peccato sine aliis confesso.* — Quod autem solet quæri, utrum pro illo peccato denuo satisfactio sit imponenda? Dicimus, iterum imponendam, quia primo condigne non satisfecit, cum falso esset ejus pœnitentia. Ait enim

mone De corpore Christi.

(427) Amb. lib. II De unica pœnitentia.

(428) Id., ibid.

(429) Greg., super Ezech. lib. I, hom. 10.

Innocentius (450): Falsam pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur. Vel cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio: arbitrio tamen sacerdotis poterit moderari.

DIST. XVI. *De tribus quæ in pœnitentia considerantur.* — In pœnitentia autem tria consideranda sunt: cordis compunctio, oris confessio, operis satisfactio; sicut enim tribus modis offendimus, sic tribus modis satisfacere debemus, corde, ore, opere.

*De tribus peccati differentiis.* — Tres quidem peccati differentiæ sunt, tanquam tres mortes in domo, in porta, in sepulcro, quas Dominus significavit in tribus mortuis quos suscitavit. Compunctio autem commendatur ibi: *Scindite corda vestra et non vestimenta vestra* (Joel. II). Confessio ibi: Justus in principio sermonis accusator est sui (Prov. VIII, XVIII). Satisfactio ibi: *Facite dignos fructus pœnitentiæ* (Luc. III).

*Quæ confitenti attendenda sunt.* — Denique qui confitetur, secundum quod Aug. ait, exprimat sacerdoti qualitatem criminis, locum, tempus, perseverantiam suam, et ejus personæ cum qua peccavit, conditionem et intentionem, et quali hoc fecerit tentatione. Omnis enim ista varietas confiteuda est et deflenda.

*Confessio non est dividenda per diversos sacerdotes.* — Caveat etiam ne verecundia ductus, dividat apud se confessionem, ut diversa diversis sacerdotibus velit manifestare, quod est se laudare, et ad hypocrisim tendere, et semper veniam carere, ad quam frustra putat pervenire.

*De tribus actionibus pœnitentiæ.* — Sunt etiam tres actiones pœnitentiæ. Unde Aug. (431): Agunt homines pœnitentiam ante baptismum de peccatis prioribus, ita tamen ut baptizentur. Agunt et post baptismum pœnitentiam, si ita peccaverunt, ut excommunicari mereantur. Est etiam pœnitentia bonorum fidelium pene quotidiana de peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, pro quibus pectora tundimus dicentes: *Dimitte nobis debita nostra* (Matth. VI).

DIST. XVII. *Cui confessio facienda est.* — Denique peccata levia, socio cuilibet corde contrito, sufficit confiteri, gravia vero sacerdoti demum, nisi absit, et urgeat periculum: Unde Beda ait super illud: *Confitemini alterutrum peccata vestra* (Jac. V). Cœqualibus quotidiana et levia, gravia vero sacerdoti pandimus. Sed et gravia cœqualibus paudenda sunt, cum deest sacerdos, et urget periculum. Proinde graviora occulta, occulte confiteantur; si autem manifesta, publica egent medicina. Quod Aug. (432) docet per similitudinem eorum, qui a Domino resuscitati sunt. Ait enim: In resurrectione puellæ,

A pauci interfuerunt qui viderunt (Matth. IX). Intus resuscitavit, quam intus invenit, relictis solis Petro, Jacobo, et Joanne, et patre, et matre puellæ (Marc. V): in quibus significantur sacerdotes Ecclesiæ. Quos autem extra invenit, sic resuscitavit (Luc. VII). Flebat turba post filium viduæ. Flebat Maria et Martha supplicantes pro fratre (Joan. XI). In quo docemur publice peccantibus non proprium, sed Ecclesiæ sufficere meritum.

DIST. XVIII. *Quando et quid Deus dimittat et sacerdos.* — Dimittit autem Deus peccatum in cordis contritione ante confessionem oris. Unde Propheta: *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei* (Psal. XXXI). Ubi Cassiodorus ait (433): Magna pietas Dei quæ ad solam promissionem peccata dimittit. Item Aug.: Nondum pronuntiat, et Deus dimittit. Dimittit autem peccatum hoc modo, quia debitum æternæ mortis solvit, et animam interius purgat. Tegit enim Deus peccatum in pœnitente, ita ut æternaliter non puniat. Unde Aug. (434): Videre Dei peccata, est ad pœnam imputare ea: avertere autem faciem a peccatis, est ea ad pœnam non reservare.

*De tenebris animæ.* — Ecce sic dimittit peccatum, quantum ad tenebras exteriores, quantum quoque ad interiores dimittit, quando animam nebula peccati tenebrosam illuminat, et suæ puritati restituit. Unde: *Surge qui dormis* (Ephes. V). Et in Psal.: *Nebulam sicut cinerem spargit* (Psal. CXLII).

*Quid sacerdos dimittat.* — Sacerdos autem dimittit in confessione peccatum, ministerio officii, quo potest ligare et solvere (435). Solus enim sacerdos evangelicus, et ligat, et solvit, hoc est, ligatum vel solutum a Deo, ex officio ostendit, sicut olim legalis sacerdos contaminabat et mundabat leprosum, id est contaminatum vel mundatum ostendebat (Levit. XIII). Quam enim potestatem habebat iste in corpore, hanc habet ille in mente. Ostendit autem solutum, eo ipso, quod pœnæ temporali obligat, quem vere pœnitere arbitratur: ligatum ostendit, si contra fecerit. Ligat etiam sacerdos, cum pœnam temporalem imponit; solvit, cum eam dimittit. Tertio etiam ligat, cum a communione suspendit; solvit, cum communioni restituit.

*De clavibus Ecclesiæ.* — Hoc autem licet sacerdoti facere ex auctoritate clavium Ecclesiæ, quæ sibi in ordinatione sunt traditæ, dicente episcopo ei, quod dixit Dominus Petro: Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis (Matth. XVI). Hoc est, ut Aug. ait (436): Ego et Deus omnes cœlestis militiæ ordines, et omnes sancti in gloria mea, laudant tecum et confirmant, quos solvis et ligas: non dixit, quos putas ligare vel solvere, sed in quos exerces opus justitiæ et misericordiæ.

(430) De pœn. dist. 5, c. *Fratres nostros.*

(431) Ad Seleucianum epistola 108.

(432) Lo. citato De vera et falsa pœn. cap. 11.

(433) Super psal, xxxi.

(434) Exponens illum locum psal. xxxi, *Quorum tecta sunt peccata.*

(435) Non tenetur hic Bandinus.

(436) In lib. De vera et falsa pœn. cap. 40.

Alia autem opera tua in peccatores non cognosco. Hieron. quoque ait (437) : Hunc locum quidam non intelligentes, aliquid sumunt propter hæc verba, de supercilio Pharisæorum ut damnare innoxios, et solvere se putent noxios, cum apud Deum, non sacerdotum sententia, sed reorum vita quærat, scilicet ut eis prosit vel noceat.

*De sententia pastoris. Claves duæ quæ sint.* — Cæterum sive justa sive injusta fuerit sententia pastoris, jure verenda est, sine præjudicio tamen veritatis. Interdum enim qui foras mittitur intus est, et foris est, qui intus etiam videtur retineri. Hæ autem claves duæ sunt, scilicet scientia discernendi peccata, et potestas judicandi de peccatis.

*DIST. XIX. Quomodo hæc claves dantur et quibus?* — Has autem, omnis qui in sacerdotem ordinatur accipit, etsi enim prius habuerat scientiam discernendi non tamen habebat eam ut clavem, hoc est auctoritate clavigeri ea uti non poterat, quod solus ordinatus potest. Videtur sane quod non omnes sacerdotes has claves habeant. Ait enim Origenes (438) : Hæc potestas soli Petro concessa est, et imitatoribus ejus, scilicet dignis, vel imitatoribus in gradu, etsi non in vita. Ordinis ergo est hæc dignitas, non personæ. Quod August. probat exemplo Caiphæ (Joan. xi). Dictum est, inquit (439), de nequissimo Caipha. Hoc a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius. Per quod ostenditur spiritum gratiarum non personam sequi digni vel indigni, sed ordinem traditionis, ut, quamvis boni meriti aliquis sit, benedicere tamen non possit, nisi fuerit ordinatus.

*Quare dimisso a Deo crimine, sacerdoti confitendum?* — Sed cum in contritione Deus dimittit peccatum, cur oportet quemquam deinceps sacerdoti, hoc est Ecclesiæ confiteri? Arbitror inter cæteras causas hanc esse præcipuam : ut per hoc sacramentum, unitas quæ est inter Christum et Ecclesiam, commendetur : ut sicut sunt duo in carne una, et in voce una, ita et duo sint in confessione una. Quod non in Veteri Testamento, sed nunc exigitur. Quia nunc, non tunc, hi duo sunt unum in carne una.

*De generali confessione.* — Sic agenda est poenitentia, ut supra diximus, ubi memoria est delictorum. Sed quia delicta nemo intelligit omnia, generaliter saltem ea confiteri oportet, ita scilicet ut Aug. ait (440) ; dicit enim : Si vero mente aliqua exciderint peccata, confitetur quis veritatem Deo, cum generaliter dicit : Deus, qui nosti occulta cordium, opera mea et delicta mea a te non sunt abscondita, quibus veniam largiaris. Et hæc est veritas confitentis, quam diligit Deus.

*DIST. XX. De his qui in fine poenitent.* — Denique cum poenitentia semper necessaria sit : illa maxima

(437) Super Matth. xvi : *Dabo claves.*

(438) Quo ad sensum homil. 1 super Matth.

(439) In lib. Quæst. Veteris et Novi Test., q. 11.

laudabilis est, quæ non tantum habet timorem, sed et libertatem. Unde Aug. (441) : Nullus exspectet quando peccare non potest. Arbitrii libertatem quærit Deus, ut possit delere commissa, non necessitatem, sed charitatem, non tantum timorem, quia non in solo timore vivit homo. Illa ergo quæ in extremis agitur, non sic laudabilis est, quia ex timore magis, quam ex charitate esse videtur, quando scilicet magis te peccata dimittunt, quam tu ea. Unde Aug. (442) Si vis agere poenitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimittunt, non tu illa. Et ideo sic poenitenti securitas non permittitur. Si vis ergo a dubio liberari, age poenitentiam dum sanus es.

*DIST. XXI. An peccata dimissa redeant?* — Solet etiam quæri utrum peccata dimissa redeant iterum peccanti, qui poenituit? Et dicimus quia utrumque salva fide teneri potest. Utrique enim parti quæstionis, probati favent doctores, scilicet ut vel dimissa peccata redeant, aliquo existente ingrato beneficiis : quod evangelica parabola explicare videtur, vel ut non redeant : sed eorum loco tot sint ingritudines, quot peccata dimissa fuerant (*Matth xviii*). Unde Aug. (443) : Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus : quæ tot sunt, quot sunt remissiones : tot ergo sunt et obliviones.

*DIST. XXII. De unctionibus. Unctio catechumenorum. Unctio externa infirmorum. Unctio in confirmatione. Quid oleum significet et balsamum.* — Novissime sciendum est tria genera esse unctionis.

*C* Prima est qua catechumeni et neophyti unguuntur in pectore et inter scapulas, ut ad militiam Christi accedentes, ad rectam intelligentiam, rectamque operationem roborentur. Secunda est unctio infirmorum, quæ ab apostolis incæpit, dicente Jacobo : *Infirmatnr quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et si in peccatis est, remittuntur ei (Jac. v)*. Hæc autem unctio, pro vario usu Ecclesiarum iteratur, vel tantum semel præstatur. Est autem tertia unctio cæteris reverentior, qua caput linitur, vel pontificis vel regis, vel baptizati vel confirmati in fronte. Hæc prærogativa exuberantis gratiæ, quæ in ea confertur, chrisma dicitur, quod unctio interpretatur. Privilegio enim abundantioris gratiæ generale nomen sibi vindicat proprium. Unde et duos liquores præcipuos admistos habet, oleum, scilicet et balsamum, quorum alterum prævalet in claritate, alterum in odore. Oleo ergo gloria conscientiæ, balsamo celeberrima fama significatur. Ut qui chrismate unguuntur, et conscientia perspicui, et gloriosi fama existant.

*Quid sit sacramentum, et quid res sacramenti.* — In his ergo sacramentum est unctio hominis ex-

(440) Lib. v Hypognoticon.

(441) In lib. De vera et falsa poen. c, 17.

(442) In lib. l. Homil., hom. 41.

(443) Super psal. cxii.

terioris, res vero sacramenti, fecunditas interioris, quæ tunc per Spiritum sanctum datur nobis.

*Dist. XXII. De ecclesiasticis ordinibus.* — Nunc de ecclesiasticis ordinibus videamus, assignantes quam vim in nobis teneant, et qualiter Christus eos in semetipso gessit.

*Quid sit ordo.* — Est autem ordo signaculum, hoc est quoddam sacrum quo spiritualis potestas et officium traditur ordinato.

*Quot sint ordines clericorum.* — Denique, juxta prærogativam septiformis Spiritus, septem sunt hi ordines, scilicet ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus et sacerdos.

*Quare vocentur clerici. Quid corona designet.* — (444) Omnes clerici vocantur, hoc est sortiti, eo quod Mathias, quem primum ordinavit Ecclesia, sorte electus fuit. Hanc sortem corona designat, quæ signum regale est et decoris. Unde omnes Ecclesiæ ministri reges non immerito dicantur, ut Petrus ait: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium* (I Petr. II),

*Unde ostiarius dicatur.* — Ostiarius autem dictus est, quod præsit ostiis templi, qui in Veteri Testamento janitor dicebatur, positus ut custodiret templum, ne quis immundus ingrederetur in illud (I Paralip. xxvi). Sic et nunc custodit ecclesiam, dignos recipiendo, et indignos respuendo. Unde claves ecclesiæ ei dantur ab episcopo cum ordinatur.

*Ubi Christus ostiarii officium exercuerit.* — Hoc autem officium Dominus in semetipso implevit, quando flagello vendentes et ementes de templo ejecit (Joan. II),

*De lectoribus. Officium lectorum.* — Secundus ordo lectorum est, qui a legendo dicuntur, quia canunt et legunt in ecclesia, ut animos audientium ad compunctionem excitent. Ad quos ex officio pertinet, ut prophetias et lectiones in ecclesia legant. Unde codex divinæ legis, eis cum ordinantur, ab episcopo traditur. Scientiam igitur habere debent, ut distincte quod legunt, pronuntiare et exponere valeant.

Hoc etiam officium Christus implevit, cum librum Isaïæ (c. Lxi) aperiens, in medio seniorum distincte legit: Spiritus Domini super me, eo quod unxit Dominius me, ad evangelizandum mansuetis misit me (Luc. iv).

Tertius ordo exorcistarum est, qui Latine dicuntur increpantes, vel adjutores. Adjurant enim, vel increpant spiritum immundum, super catechumenos et energumenos, hoc est inefficaces. Exorcista ergo, ex officio, prædictis eum exorcismo manum debet imponere. Unde et librum exorcismorum ab episcopo accipit cum ordinatur.

Hoc officio Dominus usus est, quando aures et linguam surdi et muti tetigit et sanavit, cumque

(444) Isidorus, lib. vii.

etiam multos dæmones suo imperio fugavit (Marc. vii).

Quartus ordo acolythorum est: qui Latine dicuntur ceroferarii, qui cereos anteferunt, præcipue cum legendum est evangelium. Ad acolythum ergo pertinet lumen in sacrario præparare, et portare, et suggesta pro eucharistia subdiaconis offerre. Hic cum ordinatur ab archidiacono accipit candelabrum cum cereo, et urceolum vacuum.

Hoc officium Christus implevit, cum dixit: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris* (Joan. viii; Marc. vii).

Quintus ordo subdiaconorum est: qui sic ideo vocantur, quia in ministeriis subjacent præceptis et officiis diaconorum. Ad subdiaconum ergo pertinet calicem, patenamque ad altare deferre, et diaconis tradere. Urceolum quoque et aquam, mantile, et manutergium presbyteris et levitis tenere, pro lavandis manibus ante altare. Unde cum ordinantur, accipiunt ab episcopo calicem et patenam, ab archidiacono urceolum, etc.

*Ubi Christus hoc officio functus sit.* — Hoc officio Dominus usus est, quando linteo se præcinxit, et pedes discipulorum lavit (Joan. xii).

*De diaconis. Officium diaconorum. Modus ordinandi diaconos.* — Diaconorem ordo sexto loco est, in quo eorum perfectio commendatur. Hi Latine dicuntur ministri, quia sicut in sacerdote consecratio, ita in diacono mysterii dispensatio habetur. Ad quem pertinet mensam Domini componere, crucem ferre, et prædicare, et agendis sacramentis semper assistere et ministrare: qui et Levitæ dicuntur, a tribu Levi, quia sicut illi tribui pro toto Israel ministerium templi committebatur: ita his pro tota Ecclesia ministerium deputatur altaris. His episcopus manum cum ordinantur imponit, et stollam in lævo latero, ut expediti sint ad ministrandum: et spiritualiter, ut quidquid ad sinistram pertinet, divino jugo se subjecturos intelligant, dat etiam eis Evangelii textum, ut illos Christi præcones denuntiet.

*Ubi Christus diaconi officio functus.* — Hoc officio usus est Christus quando sacramentum corporis et sanguinis discipulis dispensavit, et quando eos ad orandum commonuit, dicens: *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem* (Matth. xxvi).

*De presbyteris. Modus ordinandi sacerdotes. Ubi Christus hac potestate usus.* — Septimus ordo presbyterorum est, qui seniores interpretantur, non pro ætate, sed dignitate. Moribus enim et prudentia in populo præcellere debent, sicut scriptum est: *Seneectis enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata* (Sap. iv). Cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Istis cum ordinantur episcopus manus inungit, quo gratiam consecrationis accipiunt. Accipiunt et



stolam quæ tenet utrumque latus seu premit, ut tanquam perfectiores adversa et prospera iugo Domini submittant. Hoc autem officio Dominus usus est, cum panem et vinum in corpus et sanguinem suum convertit, et semetipsum in ara crucis obtulit.

*De nominibus dignitatum.* — Sunt et alia quædam nomina non ordinum, sed dignitatum, velut episcopus, propterea sic dictus, quod superintendat, curam subditorum gerens, ἐπι enim super, σκωπεῖν intendere dicitur.

Episcoporum autem ordo quadripartitus est in patriarchas scilicet, metropolitanos, archiepiscopos, et simpliciter episcopos. Patriarcha summus Patrum interpretatur. Metropolitanus vero dicitur a mensura civitatum. Archiepiscopus autem princeps episcoporum. Hi omnes pontifices dicuntur, et summi sacerdotes nuncupantur: hi enim cæteros sacerdotes et levitas efficiunt, et omnes Ecclesiæ ordines disponunt, quæ quoad in Ecclesiæ unitate persistunt, incunctanter facere possunt.

*DIST. XXIV. De ordinatis ab hæreticis. Dissolvit Bandinus sententiarum repugnantiam.* — Si vero ab utero erraverunt, falsaque loquuntur, dicit Innocentius, Greg. Cyp. et Hiero., solus baptismus eorum ratus est: cætera vero falsa sunt et inania quæ administrant. Siquidem qui honorem amiserunt, dare non possunt. Per quod videtur honor iterandus eis, qui ab hæreticis ad Ecclesiam redeunt. Aug. (445) autem contradicere videtur probans ita jus dandi ordines hæreticis constare, sicut et baptismus, utrumque tamen ad perniciem suam; ideoque dare possunt quod habent; nec iterandum est redeuntibus, ne fiat injuria sacramento. Sed hæc contrarietas multis modis conquiescit. Aut enim prædicti auctores de hæreticis, sententia præcisâ, loquuntur; Aug. autem de illis qui tantum pravitate sui sensus a fidei puritate divisi sunt: aut prædicti de hæreticis sub alia forma sacramenta celebrantibus loquuntur; Aug. vero de his qui in celebrando formam Ecclesiæ servant: aut prædicti ad effectum sacramentorum respexerunt, quæ illicite tractantibus inania sunt; Aug. vero ea esse dixit vera et recta quantum ad se: vel prædicti de his hæreticis loquuntur qui extra ecclesiam; Augustinus vero de his qui intra ecclesiam ordines acceperunt.

*De ætate ordinandorum.* — De ordinandis autem canonibus sanxerunt, ut subdiaconus ante quatuordecim annos, diaconus vero, ante viginti quinque annos non ordinetur, presbyter vero ante triginta non etiamsi valde sit dignus.

*DIST. XXV. De conjugio.* — Nunc de conjugio videamus quod ante omnia sacramenta in paradiso legitur institutum primis hominibus, Domino dicente: *Crescite et multiplicamini, et replete terram*

(445) In lib. II contra epist. ad Parmenianum.

(446) In lib. De virginibus, c. 10.

*(Genes. I).* Ante multiplicationem fiebat conjugium ad officium secundum præceptum: postea vero ad remedium secundum indulgentiam, ut infirmitas hominis prona ad ruinam turpitudinis, exciperetur honestate nuptiarum.

*DIST. XXVI. Quid sit conjugium.* — Est autem conjugium maritalis inter legitimas personas conjunctio individuum vitæ consuetudinem retinens. Quæ cum in multis capitur vel consistit, in eo præcipue versatur, ut utroque vivente neuter eorum alii maritaliter jungatur.

*Quæ sint personæ legitimæ.* — Denique personæ legitimæ sunt, quas votum continentiae non impedit, vel sacer ordo, vel spiritualis carnalisve cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, vel naturæ frigiditas. Sed per prima quatuor penitus sunt illegitimæ, per duo vero ultima mediæ sunt. Etenim si tales ignoranter jungantur, accidentibus quibusdam causis, cohabitare possunt, et eisdem deficientibus separari; velut si cognita conditio placeat et naturæ frigiditas non abhorreatur.

*Quæ causa efficit conjugium. Effectus conjugii. Perfectio conjugii in quo consistat. Gemina conjunctio in conjugio intelligitur.* — Efficiens autem causa matrimonii est consensus, non de futuro, sed de presenti per hujusmodi verba expressus. Accipio te in virum, et ego te in uxorem: in quo tam humana quam divina jura concordant. Dicit enim lex: Non dotibus sed affectu matrimonia contrahuntur. Et Isidorus: Consensus facit matrimonium, consensus de presenti non de futuro matrimonium efficit. Item Nicolaus papa: Sufficiat solus consensus secundum leges eorum de quorum conjunctionibus agitur, qui si defuerit solus, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Qui consensus est individuum vitæ et conjugalis societatis invicem servandæ, a quo nimirum conjugium initiatum et in carnali copula perficitur. Ait enim Amb. (446); Cum initiatum conjugium, conjugii nomen asciscitur. Item Isidorus: A prima fide desponsationis verius conjuges appellantur (447). Quod autem in carnali copula perficiatur, ait Ambro., in omni matrimonio conjunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat et perficit conjunctorum commistio corporalis. Item Hieron. dicit: Dominus (448) adulteria futura in conjugiiis quæ sponsali conventionem initiantur et corporum commistione perficiuntur. Ex his autem intelligere licet quod conjugium sacramentum sit, et sacrum signum, et sacræ rei, scilicet conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum spiritum, quantum ad initium ejus; secundum carnem, quantum ad ejusdem perfectionem. Sic quæ geminæ sacræ rei signum, conjunctionis scilicet animæ ad Deum quod signatur in desponsatione, et carnis nostræ in Deum quod signatur in carnali commistione, quando scilicet vir et mulier una

(447) In lib. Etymologiarum, c. 8.

(448) Deest aliquid.

caro efficiuntur. Sicut Christus et Ecclesia una caro sunt facti in Virginis utero. Denique secundum illud ultimum signum auctoritas illa loquitur : Non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, scilicet (quantum ad hoc signum) cum qua docetur non fuisse commistio sexus (449).

**DIST. XXVII. Coactio excludit consensum.** — Cæterum quod consensus iste a coactione immunis esse debeat, dicunt etiam leges : Libera debent esse matrimonia tam in contrahendo quam in distrahendo.

**DIST. XXVIII. Quod error matrimonium impediatur.** — Error quoque matrimonium impedit, quia nihil est tam contrarium consensui quam error qui imperitiam detegit ; sed hoc de errore personæ, et conditionis intelligimus, qui omnino matrimonium impedit, non de eo qui est fortunæ vel qualitatis qui in matrimonio toleratur.

**De finali causa conjugii.** — Finalis autem causa conjugii est principaliter proles, secundum quod Dominus ait : *Crescite et multiplicamini* (Genes. 1) ; secundaria, vitatio fornicationis. Sunt et aliæ causæ, ut reintegratio pacis, pulchritudo viri vel mulieris, quæstus quoque et divitiarum possessio, et alia multa, quæ quivis diligenter attendens facile inveniret.

**De conjugio Virginis et Joseph.** — Secundum triplex bonum de quo jam statim infra dicitur, inter Virginem et Joseph perfectum fuit conjugium. Ait enim August. (450) : In parentibus Christi omne bonum nuptiarum impletum est ; prolem enim cognoscimus Christum Dominum ; fidem, quia nul-

**DIST. XXIX. De triplici bono conjugii.** — Sunt denique tria bona conjugii, ut Aug. ait (451), fides, proles et sacramentum : fides, ne cum alio vel cum alia coeatur ; proles, ut amanter suspiciatur et religiose educetur. Quæ si defuerint, est proles sine bono prolis, ut est qui hæredem possessionis temere vult habere, non desiderans ad hoc prolem quærere ut religiose informetur. Sed his duobus frequenter nuptiæ carent, quod nunquam de tertio contingit, quod est sacramentum, scilicet ut conjugium non separetur, hoc est ut, utroque vivente, neuter unquam alii sacramentaliter conjungatur.

**Quid et quotuplex sit separatio matrimonii.** — Est autem separatio corporalis et sacramentalis. Proinde corporaliter separari possunt, causa fornicationis, absque consensu, vel ex communi consensu ad tempus, causa religionis, vel usque in finem. Igitur ubi hæc tria bona sunt, excusatur coitus, vel ab omni culpa si fiat causa prolis, vel a majori, si fit causa incontinentiæ. Unde Aug. (452) : Concupitus conjugaliter generandi gratia non habet culpam : concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum con-

(449) Leo, epist. 90.

(450) Lib. 1 De nuptiis et concup. cap. 1.

**A** juge propter tori fidem, venialem habet culpam, Cæterum, deficiente fide et bono prolis, coitus qui fit causa exsaturandæ libidinis conjugis, crimen habet. Unde Sextus Pythagoricus ait in Sententiis : Omnis ardentior amator propriæ uxoris, adulter est.

**DIST. XXX. De his quæ matrimonium impediunt. In quo ordine nequeat fieri conjugium.** — Nunc causas quæ matrimonium impediunt repetentes, eas prolixius exsequamur. Non omnis itaque ecclesiasticus ordo matrimonium impedit, sed tantum sacerdotium, diaconatus et subdiaconatus ; in aliis vero admittitur, nisi religionis habitum sumpserint, vel continentiæ votum fecerint. Unde Innocentius : Ut lex continentiæ et Deo placens munditia, in ecclesiasticis ordinibus dilatetur, statuimus quatenus episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi, professi, qui sacrum transgredientes propositum, uxorem sibi copulare præsumpserint, separentur. Item Ancharitana (alias Anconitana) synodus dicit : Quicumque diaconi de continentia interrogati juraverint et susceperint manus impositionem, professi continentiam, si postea ad nuptias convenerint, a ministerio cessare debent.

**DIST. XXXI. De differentia votorum. Divisio voti singularis.** — Votum etiam aliud commune est, ut quod in baptismo omnes faciunt ; aliud vero singulare, ut cum aliquis promittit sponte continentiam. Item singulare, aliud est privatum, ut quod in abscondito, vel sine solemnitate fit ; aliud solemne, ut quod solemnitatem habet ; quod facit prædictus ordo in clericis, benedictio in virginibus, in viduis religiosus habitus. Hoc autem solum matrimonium impedit.

**DIST. XXXII. De dispari cultu.** Dispar cultus, dispar religio est, quæ impedit matrimonium. Non enim licet Christiano, cum gentili vel Judæo inire conjugium. Cæterum si dum uterque infidelis erat matrimonium inierunt, altero ad fidem converso, potest stare conjugium juxta consilium Apostoli dicentis : *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum ipso, non dimittat illam, et de muliere similiter* (I Cor. VII). In quo monet Apostolus quod est lucranda occasio, cum liceat ei relinquere. Causa enim fornicationis et corporalis et spiritualis dimittitur licite uxor.

**D** **Conjugium triplex. Legitimum et ratum. Ratum et non legitimum. Legitimum et non ratum.** — Hic ergo sciendum, quod conjugium aliud est legitimum et ratum, ut quod inter fideles contrahitur publice solemnitatibus secundum morem servatis ; aliud est ratum et non legitimum, ut quod inter eosdem clam et per nullam solemnitatem contrahitur, quod ideo prohibetur ne cum sibi displicuerint legitimi conjuges, separentur cessante probatione conjugii ; aliud est legitimum et non ratum, ut quod inter infideles publica solemnitate initur.

(451) Super Gen. ad litteram. lib. ix, cap. 7.

(452) In lib. De bono conjugali.

DIST. XXXIII. *De cognatione carnis. Quousque consanguinitas impediatur. Affinitatis impedimentum.* — Cognatio etiam quæ nubentes impedit, alia carnis est et alia spiritus. Quæ carnis est, alia dicitur consanguinitas, alia affinitas. Consanguinitas autem nuptias impedit usque ad sextum vel septimum gradum, juxta diversam computationem. Affinitas quoque nuptias impedit, et quidem varie secundum multa ejus genera. Nam in primo genere, ita impedit sicut consanguinitas, hoc est ad septimum gradum; in secundo usque ad quintum, sed in quarto permittuntur; in tertio vero usque ad secundum.

*Primum genus affinitatis. Secundum genus. Tertium genus.* — Est autem primum genus affinitatis tibi omnis consanguinitas tuæ uxoris, et illi tua. Secundum genus affinitatis est tibi omnis conjux consanguineorum et consanguinearum uxoris tuæ, sicut tuorum vel tuarum conjux illi. Tertium vero tibi est et uxori tuæ, conjux secundorum affinium, ultro citroque: sicut qui sunt primi generis affines, tibi et uxori tuæ sunt inter se secundi. Denique qui sunt secundi generis affines tibi et uxori tuæ, inter se sunt tertii. Quæque enim persona addita per copulationem mutat genus et non gradum. Addita vero per generationem mutat gradum, sed non genus.

DIST. XXXIV. *De gradibus affinitatis.* Unde affinitatis gradus computabis sic, ut cum tu et uxor tua secundum divinam sententiam sitis una caro, et pro una etiam persona reputamini (*Genes. II*). Ideo in quo gradu est ei suus consanguineus, in eodem est tibi idem affinis: et e converso; et sic in omni affinitate numerata. Affinitas autem defuncto uno conjuge non deletur in superstite, quia validum est verbum Domini et forte, quo dixit: *Erunt duo in carne una (ibid.)*

DIST. XXXV. *De cognatione spirituali.* — Spiritualis cognatio est, quam cæleste sacramentum per ministerium inter aliquos facit, velut inter compatrem et commatrem, et eorum filios et filias: per quod et spiritualis proximitas inter carnales filios et spirituales nascitur: et ideo inter personam per quam compaternitas contracta est, et carnales filios alterius, ut Nicolaus papa ait, conjugium fieri non potest; inter cæteros autem potest, licet Paschalis inhibere videatur a nuptiis post compaternitatem genitos.

*An quis possit duas commatres ducere unam post alteram!* — Potest etiam quis duas commatres habere unam post alteram uxorem, si commaternitas et carnalis copula primæ, nunquam simul fuerunt, velut si ductam non cognovit; vel si dudum cognita et absque reconciliatione repudiata commater facta est alicujus. Quod dicit Paschalis papa et Triburiense concilium. Cæterum si simul fuerint illa

(453) Super psal. cxviii.

A duo, non poterit utraque habere uxores, ut Nicolaus ait.

DIST. XXXVI. *De resurrectione. Quid sit tuba extremi judicii.* — Postremo de resurrectione et de modo resurgentium videamus. Resurrectio igitur ab omnibus credi debet. Ait enim Isaias: *Resurgent mortui, et resurgent qui erant in sepulcris (Isa. xxvi)*. Et Joannes: *Veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent, etc. (Joan. v)*. Fiet autem resurrectio in voce tubæ (id est manifesta) quæ vim resuscitandi habebit (*I Thess. iv*). Unde Propheta: *Ecce dabitur voci suæ vocem virtutis (Psal. lxxvii)*. Hæc denique tuba est clamor de quo dicitur: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei (Matth. xxv)*. Quæ vox vel tuba dicitur esse archangeli, hoc est Christi, quam media nocte proferet: quod non pro hora dicitur temporis, sed quia tunc veniet quando non speratur, vel pro tempore dicitur. Ait enim Cassiodorus (453): Hoc tempore primogenita Ægypti percussa sunt (*Exod. xii*), quando et sponsus venturus est. Hoc quoque tempus dies Domini dicitur, non pro temporis qualitate, sed quia tunc singulorum occulta patebunt. Unde Daniel: *Vetustus dierum sedit, et libri (hoc est. conscientiarum singulorum) aperti sunt coram eo, (Dan. vii)*.

DIST. XXXVII. *De ætate et statura resurgentium. Impii qualiter resurgent?* — Resurget autem omnis homo secundum ætatem Christi, ut Apostolus ait: *Occurremus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi (Ephes. iv)*, Non, ait Aug. (454), in mensuram corporis vel staturæ, sed ætatis, quia quisque recipiet suam mensuram, quam vel habuit in juventute, si senex etiam obiit, vel fuerat habiturus si est ante defunctus, In resurgentibus autem admirabili celeritate restituet Christus totum quo corpus eorum constiterat, nec aliquid intererit, utrum capilli ad capillos redeant, et ungues ad ungues: an quidquid eorum perierat, mutetur in carnem, et in partes alias corporis revocetur, suscitatore providente, ne quid ibi indecens fiat; indecorum quippe ibi aliquid non erit. Quod de electis intelligendum est. Cæterum impii an cum vitiis suorum corporum et deformitatibus resurgent inquirendo laborare, quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio.

DIST. XXXVIII. *De suffragiis defunctorum.* — Interim tamen, antequam resurrectio fiat, videamus quid beneficia in Ecclesia pro defunctis facta, prosint. Defunctorum igitur quatuor ordines sunt. Quidam enim sunt valde boni, quidam valde mali, quidam mediocriter boni, quidam mediocriter mali. Cum ergo sacrificia vel oblationes pro eis fiunt, pro valde bonis, gratiarum actiones sunt; pro valde

(454) In lib. De civitate Dei, lib. xxii, cap. 14.

malis, etiamsi nulla eorum adjumenta sint, tamen qualescunque vivorum consolationes sunt; duobus autem aliis ordinibus prosunt, mediocriter quidem bonis, ad hoc ut sit eis pœnæ remissio, mediocriter vero malis, ad hoc ut tolerabilior sit eorum damnatio.

DIST. XXXIX. *De ordine eorum qui judicandi sunt.*

—Erunt autem ibi quatuor ordines eorum qui judicio aderunt. Alii enim judicabuntur et peribunt, ut quibus dicitur: *Esurivi et non dedistis mihi manducare, etc.* (Matth. xxv). Alii autem non judicabuntur, et tamen peribunt, velut quibus Dominus ait: *Qui non credit, jam judicatus est* (Joan. III). Alii judicabuntur et regnabunt, ut illi qui audient: *Esurivi et dedistis mihi manducare*; alii non judicabuntur et regnabunt, ut illi quibus Dominus ait: *Sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (Matth. xix). Quod non tantum ad apostolos dictum esse intelligendum est, sed ad omnes qui apostolicam perfectionem adepti, relictis omnibus, secuti sunt Christum. Judicabunt vero isti et comparatione melioris facti et potestate judicii: unde gladii ancipites in manibus eorum (Psal. cxlix), hoc est, sententia de bonis et de malis in potestate eorum. Sed quæ ibi dicenda creduntur, vocene proferantur, an tantum virtute judicis effectum accipiant, nulla auctoritate aperte definitum existit.

DIST. XL. — *De loco judicii et sententia.* — Locus autem judicii sicut super Joelem prophetam auctoritas dicit, erit in spatio hujus aeris contra

montem Oliveti (Joel. II); unde ascendit: ubi judicabit Dominus in forma servi clarificata, apparens tam bonis quam malis. Unde Aug. (455): Cum in forma servi clarificata judicantem viderint boni et mali, tolletur impius ne videat gloriam Dei, et tunc signum crucis angeli deferent ante eum ut ipse dicit: *Tunc apparebit signum Filii hominis in caelo* (Matth. xxiv).

DIST. XLI. — *De differentia mansionum in caelo et in inferno.* — Cæterum impii diversis pœnis torquentur. Pii vero in claritate cognitionis differunt, quia in domo Patris mei mansiones multæ sunt (Joan. xiv). Par autem erit gaudium omnium, vel quia quisque gaudebit de bono alterius, quasi de proprio: vel quia de omni re unde gaudebit unus, omnes gaudebunt, ita ut paritas non ad intentionem gaudendi, sed ad numerum rerum de quibus gaudent, referatur.

DIST. XLII. *De visione bonorum et malorum.* — Postremo sciendum, quod sancti tradunt neque ad judicium bonos et malos se mutuo videre. Post judicium vero boni viderunt malos, sed mali non videbunt bonos. Unde Gregorius (456): Infideles in imo positi ante diem judicii: fideles in requie attendunt, quorum gaudia post contemplari non possunt. Isaias etiam dicit: *Egredientur electi et videbunt cadavera vivorum, qui peccati sunt in me* (Isa. lxvi). Et Psalmista: *Lætabitur justus cum viderit vindictam* (Psal. lvii). Cujus lætitiæ nos Dominus consortes efficiat. Amen.

*Finis libri quarti Sententiarum Bandini.*

(455) Super Joan. De Trinit. lib. I, c. 16 et 17 sententialiter.

(456) Super Lucam c. 16.

ANNO DOMINI MCLXIV.

# HUGO AMBIANENSIS

## ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA.

(Gallia Christiana nova, tom. XI, col. 43).

Si credimus Orderico Vitali, lib. VII, pag. 889, Hugo non ante annum 1130 factus est archiepiscopus Rothomagensis; sed mox patebit electum fuisse vivente Honorio II papa, quod cadere debet vel in